

valorem merendi non habebat formaliter ab incarnatione, sed in se distinctum valorem merendi habet ab ipsa incarnatione, ut patet quando gratia datur non intuitu incarnationis, ut in Angelis, et in statu innocentiae, vere enim est meritoria, licet non sit data per incarnationem. Quando ergo distinctus valor intervenit, et est duplex principium merendi, bene potest unum esse causa alterius ut ponatur in executione, et alterum ut prævisum in intentione esse causa ut illud prius anticipate detur; et sic incarnatio prævisa est causa ut detur gratia patribus, et gratia per suum valorem est causa congrua ut incarnatio executioni mandetur. Nec obstat, quod incarnatio est principium huius meriti quod provenit a gratia; quia non est principium ejus, ut dans illi valorem, sed solum ut causa existentiae ejus: aliqua enim oriuntur a principio meriti ut trahentia valorem ab ipso, sicut opera quæ fiunt a gratia, vel ab incarnatione habent totum suum valorem a tali principio; et ideo illud principium non potest esse præmium illius operis. Alia vero oriuntur a principio meriti ut habentia in se, et ex se valorem, et solum se habent ut effectus, seu præmium talis principii merendi, non ut opera ab eo orta; et sic se habet gratia nostra, vel patrum respectu incarnationis: est enim effectus, et præmium meriti Christi, non tamen habet valorem formaliter ab illo, sed in se habet valorem distinctum a valore incarnationis, cum constet quod gratia data, non intuitu incarnationis, ut si duraret status innocentiae, valorem merendi haberet. Eum ergo qui nunc habet, distinctum ab incarnatione habet. Et ideo licet in re ponantur, et detur quoad existentiam intuitu incarnationis, tamen semel data ex suo valore, et non ex

valore hausto ab incarnatione dat congruitatem operi ut mereatur incarnationis executionem. Unde principium meriti nunquam cadit sub meritum. De vinea empta fructibus vineæ, dicimus, quod illi habent distinctum valorem a vinea, et pendent ab industria, et labore coloni; et sic possunt converti in pretium vineæ.

XXXI. Ultimo, arguitur argumentis Molinæ disputatione illa prima, membro xi, quibus nititur probare prædestinationis efficaciam ex præscientia liberi arbitrii desumi, et ex parte consensus ejus prævisi. Nam Scriptura reducit hanc prædestinationis vim ad præscientiam, secundum quam Deus elegit prædestinatos. Ad quod plura congerit loca, ut est illud Rom. viii: *Nam quos præscivit, et prædestinavit.* Prius ergo præscivit quam prædestinavit, quia scilicet non voluit Paulus in negotio prædestinationis excludi liberum arbitrium, sed illius rationem haberi, ac proinde quos præscivit futuros pro sui arbitrii libertate conformes imagini Filii sui, ex hypothesi quod Deus ex sua parte eos adjuvaret auxiliis misericorditer impensis, etiam hos prædestinavit. Et sic ly præscivit, est idem quod præscivit scientia media; tales sic prævisos prædestinavit. Quæ expositio juvatur ex illo Augustino lib. vi hypognosticon: « Propterea prædestinavit, quia quale futurum sit præscit; ideo et Apostolus: « Nam quos præscivit, inquit, et prædestinavit. » Addo, et D. Thomam qui iii p. qu. i, art. iii ad iv, dicit quod: « Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum; et ideo prædestinat salutem aliquorum implendam per orationes aliorum. » Alter locus est Rom. xi: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit;* non repellere autem est prædestinare: ergo prædestinatio supponit præscientiam il-

lius plebis Dei. Et idem deducitur ex illo i Petri i: *Petrus Apostolus Jesu Christi electis advenis secundum præscientiam Dei Patris:* et iterum ii Petri i: *Satagite fratres, ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis,* ubi significat ex arbitrii libertate pendere, quod vocatio, et electio certa sit.

Confirmatur, quia eo modo prædestinat Deus justificandos, et salvandos, quo ipsi in re postea justificantur, et salvantur, sed adulti in tempore justificantur, et salvantur dependenter ab eorum libertate, et auxilio Dei, et in eorum potestate situm est nec salvari, nec justificari: ergo ab æterno etiam prædestinantur cum prævisione, et dependentia a libero arbitrio, sine quo voluntas divina qua vult nobis opitulari rationem prædestinationis non haberet, nisi haberet adjunctam præscientiam de influxu futuro liberi arbitrii.

Confirmatur secundo, quia cum æqualibus auxiliis imo cum majoribus aliqui reprobantur, et alii salvantur, ut deducitur ex illo Matth. xi: *Si in Tyro, et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ in te, etc.* Et Judas majorem gratiam recepit quam multi qui nunc sunt in cælo: ergo ex prævisa cooperatione liberi arbitrii in his, et non in illis, isti salvantur, non illi: nam ex parte gratiæ, et auxiliorum æquales sunt, aut etiam aliqui reprobi plura acceperunt.

Respondetur illas omnes auctoritates Apostoli, et alias similes loci de præscientia, quæ est ipsamet prædestinatio, seu in illa fundatur, non quæ antecedit omne decretum Dei: dicit enim Augustinus lib. de prædestinatione sanctorum, cap. x: « Prædestinatione Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse factururus: » et c. xvii: « Electi sunt ante mundi

constitutionem ea prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præscivit: » et generalius libro de bono perseverantiæ, c. xviii: « Prædestinasse est hoc præscisse quod fuerat ipse factururus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præscientiam et agitur de vocatione electorum, eandem prædestinationem intelligere? » Qua Augustinus expositione omnia loca ex Scriptura allata non urgent: nec enim loquuntur de præscientia aliqua media, seu antecedente decretum, et prædestinationem Dei, sed illam consequente, vel quæ est ipsamet prædestinatio. Ad locum Augustini ex libro sexto hypognosticon (præterquam quod non est liber ille indubitatus Augustini, sed est auctoritatis dubiæ) tamen ipsum sustinendo dicimus, quod non urget auctoritas, quia cum dicit: « Propterea prædestinat quia quale futurum sit præscit, » non explicat ibi causam antecedentem ad prædestinationem, sed præscientiam, quæ est ipsa prædestinatio, quasi dicat, propterea ad Deum pertinet prædestinare, seu præordinare de futuris, quia pertinet ad ipsum præscire futura, sicut si diceremus: Ideo Petrus est homo, quia est rationalis: anima est actus corporis organici, quia est organicum per animam. Non vero est necesse, quod præsciat Deus futurum per aliam præscientiam quæ non sit prædestinatio. Est enim causa per modum includentis, et inclusi, non per modum causæ antecedentis, et extrinsecæ. Ad locum D. Thomæ dicitur quod cum dicit prædestinationem supponere præscientiam futurorum, non loquitur de prædestinatione adæquate, et pro collectione omnium effectuum, sed inadæquate prout tangit unum effectum, et potest supponere prævisionem alterius, ex quo alium causat: unus enim effectus prædes-

tionis potest ex alio causari, et ex illo præviso, iste ordinari; sicut oratio Stephani prævisa, fuit causa, et motivum salutis Pauli; sed tamen illa oratio Stephani, etiam sub prædestinatione aliqua, et decreto Dei fuit conclusa, et prævisa, non ante omne decretum.

Ad confirmationem primam respondetur eo modo prædestinari aliquos, quo in re postea salvantur, et justificantur, quantum est ex parte rei prædestinatæ. In re autem mandatur executioni justificatio, et salvatio per liberum arbitrium, distinguo; ut subordinatum gratiæ, et voluntati Dei, et ab ea efficaciter moti, concedo; ut præbenti suo consensu, et determinatione efficaciam decreto indifferenti, nego. Et sic ex prædestinatione divina, et decernitur actus, et salvatur libertas, quia etiam ipsum libere esse, a Deo est, quod abunde in superioribus explicatum est.

Ad secundam confirmationem respondetur omnino negandum esse quod cum æquali auxilio efficaci unus damnetur, et alter salvetur, sed semper, qui salvatur habet donum perseverantiæ, et auxilium efficace, quo caret damnatus, licet verum sit quod damnatus possit habere æqualia, vel majora auxilia sufficientia. Et hoc solum probat ille locus de Tyriis, et Sidoniis, quod cum æquali auxilio sufficienti convertentur præ Judæis, licet cum dispari efficaci. Quod quomodo stet cum justa querela Christi de Judæis, quod non sunt conversi, diximus abundanter præcedenti tomo, disp. xx, art. v, ubi hunc locum late explicavimus.

ARTICULUS VI.

An merita Christi sint causa nostræ prædestinationis, etiam in singulari?

I. Dupliciter possumus loqui de meritis Christi in ordine ad prædestinationem hominum (de Angelorum enim prædestinatione nunc non loquimur.) Primo, de ipsa absolute sumpta, et secundum se, seu ex parte dilectionis Dei, et rei prædestinatæ, scilicet quod detur prædestinatio hominum ad gloriam absolute. Secundo, comparative respectu personarum, quatenus unus præ alio eligitur, et prædestinatur, alius vero reprobat, an sit Christus Dominus causa hujus electionis unius præ alio. In primo sensu minor est difficultas, et sine dubio asserendum est Christi incarnationem, et merita esse causam prædestinationis nostræ, ut ex parte nostra se tenet, seu ex parte effectuum prædestinationis: est enim Christus auctor salutis nostræ taliter, ut omnes effectus gratiæ, etiam primus, dentur nobis per Christum. Et dico prædestinationis ex parte nostra, seu ex parte objecti, quia prædestinationis, ut est actus Dei, et ex parte Dei se tenet, nullus est ita insanus, ut dicit D. Thomas hic articulo quinto, quod ponat causam illius: actus enim Dei causari non potest ab aliquo, et ita causam non habet in se.

II. Hæc assertio est communior sententia inter theologos; et solum videtur posse negari ab aliis, qui sentiunt merita Christi non esse causam omnium auxiliorum, et gratiarum quæ nobis dantur, aut fuisse ante originale peccatum prævisum homines prædestinatos ad gloriam in voluntate divina. Unde incarna-

tio Verbi quæ decreta est de facto in remedium peccati originalis post ejus prævisionem, non potuit esse causa electionis, et prædestinationis nostræ ad gloriam, licet deservierit ad præparanda media, et removenda impedimenta, quæ consecutionem illius retardare poterant. Quæ sententia attribuitur Scoto, Almaino, Driedoni, et aliis, quos citat M. Gonzalez 1 p. disput. LXXIV, sect. iv. Cæterum nostra sententia est expressa S. Thomæ III part. qu. XXIV, art. iv, et videri etiam potest ibidem qu. XIX, artic. iv et quæst. VIII, art. I et in III, distinct. X, qu. III, articulo unico, quæst. III et Joan. I super illa verba: *De plenitudine ejus omnes accepimus*. Sequuntur D. Thomam communiter ejus commentatores, et discipuli ad illum locum III par. q. XXIV, ubi videri potest Cabrera, et Suarez disp. XLVII, sect. iv et lib. II de prædestinatione, c. XXIV; Vasquez hic disp. XCIV, c. II; Gonzalez loco citato; Zumel super hanc quæstionem XXIII, art. v. disput. II et Cajetanus super eundem locum, et alii quos citat Gonzalez, et alii citati.

III. Fundamentum nostræ sententiæ sumitur tum ex Scriptura, tum ex ratione. Ex Scriptura, quia dicitur Ephes. I: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem*: et subditur: *Qui benedixit nos omni benedictione spiritali in celestibus in Christo Jesu*. Si ergo omnis benedictio nostra est per Christum: ergo omnis effectus gratiæ est per Christum, omnis enim effectus gratiæ, benedictio aliqua est. Unde etiam dicitur Joan. xv: *Sine me nihil potestis facere*: et: *Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, ita et vos nisi in me manseritis*. Ex quo loco Concilium Tridentinum sess. VI, c. XVI, dicit, quod: « Ipse Christus Jesus tamquam caput in membra, et tamquam vitis in palmites in ipsos justificatos ju-

giter virtutem influit, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent: » sed omnis effectus prædestinationis, prout talis, est Deo gratus; ergo prout sic est ex Christo, et sic ipse est causa influens in totam prædestinationem nostram, seu in omnes ejus effectus. Ratione quoque probatur, quia nullus hominum præter Christum est prædestinatus, qui non sit redemptus: ergo nullus est effectus prædestinationis, qui non sit effectus redemptionis. Patet consequentia, quia omnes effectus prædestinationis ipsi prædestinationi, ut causæ subordinantur, et ab ea deducuntur: ergo si prædestinatio ipsa est redemptiva, effectus ejus ex vi redemptionis procedunt, quia ex vi talis prædestinationis procedunt. Antecedens vero manifestum est, quia illi sunt prædestinati qui salvi fiunt, nullus autem salvatur ex hominibus nisi per sanguinem, et redemptionem Christi, juxta illud Actorum IV: *Non est aliud nomen datum sub celo in quo oporteat nos salvos fieri*: et ad Rom. V: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, ita et per unius justitiam in omnem homines in justificationem vitæ*: et I ad Corinth. XV: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*: et ad Heb. II: *Decebat eum propter quem omnia, et per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per mortem consummare*. Unde est illa electorum vox Apocalyps. V: *Redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum*. Quare omne quod pertinet ad regnum Dei, redemptum est in sanguine Christi: si ergo omnis prædestinatus est redemptus, omnis prædestinatio per